



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs

Wintrich, Victor

Coloniæ, 1644

Discvrsvs IX. Quia Rex noster Christus venit non raptor alienarum
ditionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

DISCVRSVS IX.

*Benedictus qui venit in nomine
Domini. Matth. 21.*

Quia Rex noster Christus ve-
nit non raptor alienarum
ditionum.

Ostenſa ſuperiùs Chriſtianis Prin-
cipibus quàm neceſſaria ſit Re-
ligio & cultus vnius Dei, nunc
quòd alienorum Regnorum inuaſores
eſſe non debeant, ſi pacis fructum &
benedictionis emolumentum appetant,
oſtendam.

Ordine conſueto.

Primò, Reges ſuis contentos eſſe de-
bere Regnis.

Secundò, Iniuſtè eadem dilatatorum
damna.

Tertiò, Chriſti in hoc exem-
plum.

SINT

SINT REGES CONTENTI DITIONIBVS SVIS.

Prosequitur Bias suas leges, & hanc Regibus præscribit sequentibus:

Princeps ditione relicta à maioribus contentus esto, neque bella, Regna aliena captaturus moueto; Apollinis quippe oraculo didici, quicumque aliena raperet. ei propria Deos adimere.

Reperio ad propositum tot, tanta, tam mira, quæ hac de re sensere aut scripsere Ethnici, vt quæ præ alijs ex plurimis excerpam, dubitem.

Etenim enimvero, si Augustum ex omnibus Romanorum Principibus nullo populo cariorem, nullum in bellis omnibus foeliciorem, quippe qui, cum optimus ille Princeps esset, nunquam bellum mouerit, quin ex parte sua iustissimum, causa eius suscipiendi grauiissima vrgeret, commemorem; offert sese Marcus Aurelius verè Princeps Christianus (si tamen Ethnici Christiani dici possent) hic aurea hæc scripsit, dixit, fecit, dum Romanorum triumphos, bello dilatandi Imperij gratia moto, obtentos secum perpenderet: Aut ego, inquit,

quit,

quit, fallor, aut hominum stultorum
 prosperitas, aut iudicium bonorum in
 causa est, ut omnibus inuitis, domos
 potius intrent alienas, quam bona
 eum gratia domi suæ homines con-
 quiescant. O Roma, Roma, execrabi-
 lis fit tua amentia! pereat in te superbia
 tantæ auctor! detestabilis fit hominibus
 & abominabilis Dijs, qui hanc in te
 pompam excogitauit! quid vanius di-
 ci, quid inanius cogitari potest, quam
 Ducem Romanum, qui Regna debella-
 uit, pacificos turbauit, vrbes desolauit,
 arces solo æquauit, pauperes expilauit,
 tyrannos collocupletauit, thesauros
 exhausit, plurimum effudit sanguinis
 innoxij, innumeras fecit viduas, mul-
 tos denique occidit Viros Nobiles, hoc
 auferre præmium omnium istorum da-
 mnorum, ut pompa Romæ triumphali
 excipiatur? Et post pauca: Ad trium-
 phum quod attinet, ait, nec Assyrios
 laudo, nec Persis inuideo, nec Macedo-
 nes mihi satisfaciunt, nec Chaldæi pla-
 cent, nec Græci probantur, Troianos
 verò detestor, & Carthaginenses da-
 mno, quòd non amore iustitiæ, sed su-
 perbiæ

perbia furore impulsi, triumphorum gratia consequendorum, & plurimas Regnis suis ærumnas attraxerunt, & interitus nobis causam reliquerunt.

Hæc ipse Ethnicus, Dux belli, Romani Imperator Imperij, de bello Asiatico quidem triumphans dixit & sensit, & ne sensisse dubites, audi sequentia:

O Roma, inquit eadem Epistola ad Cornelium amicum, maledicta, maledicta fuisti, maledicta es & eris, nisi enim aut fata mentiuntur, aut animus me fallit, aut rotam fortuna suam sufflammat, quæ nobis spectacula præbuerunt Regna præterita, eadem Roma præbebis sæculis futuris, ut scilicet quemadmodum per vim facta es domina dominorum, ita per iustitiam serua fias seruorum. Quid Christianum magis? Quid iustitiæ consonantius? Quid æquitati conformius? Nunquid enim qui per arma ac violentiam Regnum affectant alienum, subito erectiones, subito elisiones sustinent? Nunquid, dum abest quod Auemus, id exuperare videtur: Cætera, post aliud dum contingit, illud Auemus? Nunquid bellum ita
 K susci-

suscipi debet, ut nihil aliud nisi pax que-
 sita videatur? Nunquid bene optimeque
 sensit, qui dixit, haud facile est, ut qui
 multa alijs inferunt damna, ipsi non
 multa ab alijs vicissim patiantur? Nun-
 quid verum & verissimum dicitis, ô Re-
 ges, ô Principes, ô Dynastæ? singulari
 Megistanes afficere Deum beneficio,
 dans eis sanitatem, dans opes, dans Im-
 perium, sed si animum suo contentum
 non simul dedit illis datis laborem, aio,
 & pericula illis dedisse? Sicut enim,
 dum homines honores, diuitias parum
 æstimant, & hinc in paupertatem inci-
 dunt. Sic Principes malè feriatu non an-
 te pacem parui pendere desinent, quam
 saucios prælia remittunt. Nescitis, Prin-
 cipes, dum bellum incipitis, subditos
 vestros bene agere desinere? quod si
 minimè vos, ut malè agant, velle dica-
 tis, assentior equidem; at causam tamen
 ut boni non sint, præbebitis. Certè ex
 his Augustum, Aurelium benedicendos
 nemo est qui dubitet, si iniustitiæ intui-
 tu Christianum præfixissent scopum.
 Audiant ergo Christiani Principes sacrae
 Scripturae monumenta, ut quare bella
 susci-

suscipienda, tuenda, prosequenda sint, intelligant & benedicantur.

Nunquam enim, si sine damno bellare volunt Hebræorum Duces, Iudices, Reges, sine iustitia & Deo inconsulto bellandum esse arbitrati sunt. Qui vel parum S. Scripturæ gnarus, & lib. Deuteronom. Ios. Iud. Regum & Machab. euolutor extitit, facile mihi calculum album aditurus est, scio. Quid enim est quod Deus præcepit, hisce verbis: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres primum pacem.* Quàm scilicet iustè, & eius imperio hoc vel illud inituri bellum erant, priùs tamen etiam inimicis offerendo pacem, eorum iustitiæ & actionis debitæ causa pateret? Quid Sapiens consulit? pro quo bellandum, certandum, immò agonizandum docet? an pro dilatando iniustè Imperio, an pro accipienda latiori ditione, an pro exaltanda gloria? nullo modo, *Pro iustitia, inquit, agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit inimicos tuos.* Quando, quæso, ingloriosus & miserius magis inuolutus erat Ammon,

quàm quando sibi per iniustitiam acquisiuerat multa aliena, propria tamen *Ezec. 25.* perditurus? Sic facer Textus: Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pedo, & gauisa es super Israël, (dum iniuste illum persecutione & bello premebat) idcirco ego extendam manum meam super te, & trudam te in direptionem gentium.

li. 3. de Ciuit. c. 10. Intelligent ex his Reges, erudiantur Principes, quod etiam iuxta D. Augustinum, irruentibus importunè inimicis resistere quidem cogantur, non tamen auiditate laudis adipiscendæ humanæ, minùs suas fimbrias dilatandi capta occasione, sed necessitate tuendæ salutis & libertatis. Quæ ut magis patefiant, damna quibus Reges, Principes, Regna, Ducatus hac bellandi non seruata lege, heu experientia doctrine inducantur, enarrabo.

DAMNA REGVM INIVSTE IMPERIA SVA DILATANTIVM.

Nec benedictionem, nec pacem postulentur Magnates, dum auiditate suorum, vel propria, bella mouent, sed

damna potius, ni abstineant, expauescere discant.

Quæ non damna, dum Sennacherib ampliandi Regni gratia, diuitias cumulandi animo, Palæstinam, omnium ibidem malorum, rapinarum, direptionum fator metit: *vna nocte centum octoginta quinque millia sui exercitus amisit viros,* nec hoc satis, à proprijs occisus in Niniue filijs, sua seq; ipsum perdens; vtinam aliena non rapere didicisset, non hic benedictus, non pacis condiciones acceptans.

4. Reg. 19

Audiant Reges & intelligant Principes, si benedicti, si pacis condiciones amplecti velint, quod de Xerxe Persarum referam Rege. Hic, cum aliquando prandenti Caricæ Atticæ pulcherri-
mæ, ac gratissimi saporis appositæ essent, super mensa per duos iurans immortales, & maiorum suorum testatus cineres negavit eas se, nisi quæ illas edidisset subiugata Regione comesturum, moxq; ad subiugandam Græciam profectus est, atque ita bellum illud non solum vt Princeps leuis, sed vt hominibus gulosus, iniustus & vitiosus, mouitque

non suo damno? Iosephus Hebraicæ
l. 2 de bell gentis Scriptor fidelis & verax, sic de
Iud. c. 26. eo testatum relinquit: Atheniensis Xer-
 xem per terram nauigantem, per mare
 ambulantem, vna naui fugientem glo-
 riosissimè persecuti sunt.

Lib. 5. Quo emolumento, aut quo suo non
 damno Galli Italix mouere bella? Italia
 namque sua foecunditate, teste Ambro-
 sio, hostem frequenter in se excitauit.
 Titus Liuius auctor est, Gallos, gustato
 Italix vino, mox arreptis armis ad subi-
 gendam illam profectos esse, cum aliam
 nullam haberent vel paruam vel ma-
 gnam faciendi belli causam; sed noean-
 dum, quòd ita Galli pro vino Italix san-
 guinem mutarint proprium. Quis hic
Agg. i. non exclamaret: *Respexisti ad manus, &*
factum est minus, seminasti multum, in-
tulisti parum, malè enim parta, malè di-
 labuntur.

Quid Carthaginenses simul & Ro-
 manos exhausti? Quid vtrique Reipu-
 blicæ damna intulit? aliud nihil, quam
 quòd ob rapiendas opes alienas, pro-
 priæ dilapidentur: Longissimo sanè
 tempore constans inter vtramque hanc
 Rem-

Rempublicam amicitia erat, sed postea-
 quam ditissimas auri & argenti venas
 in Hispania esse intellexerunt, statim
 ad bellum confurrexerunt acerrimum,
 ita populi illi nobilissimi, vt opes rape-
 rent alienas, terras vastarunt proprias,
 vbi hic benedictio, vbi pacis conditio,
 dum fomes fouetur belli? de Indijs
 consuetum prætereo, quid nostros
 Christianos Principes ad arma vocet,
 vt tamen his damnis damnum faciam,
 ad hoc Chilonis Philosophi dictum
 considerandum Magnates remitto: Ni-
 hil, inquit, est, quod virum bonum aut
 malum magis prodat, quàm id de quo
 contendunt; tyrannus enim rapiendo
 aliena immoritur, at spectatæ virtutis
 Princeps pro suo defendendo laborat.
 Nunc restat; vt, cum vel in vltimo Chi-
 lonis dicto, bonum malumve agnoue-
 rimus Principem, benedictum procla-
 memus in æternum Christum, qui non
 venit vt aliena rapiat, sed vt sua tribuas
 regna.

CHRISTVS NON RAPTOR.

Verè benedictus Rex noster Christus

K 4

ve-

venit, qui non eripuit mortalia, sed Regna dedit coelestia; si ita regnare ambitis, Principes, cur non eius Regna queritis, quæ amittere non potestis? rapiendo illa quæ rapiuntur, quid lucrmini? Ad pacem hic in prædicationis suæ initio inuitat, Regnum offert Cœ-

Matth. 4. *lorum: Appropinquavit, dicens, Regnum Cœlorum, hic Patrem suum pro isto interpellandum Regno, docuit:*

Ibi. 6. *Adueniat, aiens, Regnum Cœlorum. Benedictus ergo, quia verò Rex pacificus non armis terribilis, etiam in Natiuitate promulgari fecit pacem: Et in*

Luc. 2. *terra pax hominibus bonæ voluntatis, in*

Matth. 10. *vita pacem prædicari fecit: In quacunque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui.*

Nunquid in morte ex hoc mundo abiturus, & in pace in idipsum requieturus dixit, Bellum relinquo vobis? an non potius *Pacem*, dixit, *Pacem meam relinquo vobis?* an non ex hoc conuincitur, veri Christiani Principis esse, pacem potius tantopere à Christo commendatam, conseruare, quàm bellum, vlciscendæ etiam iniuriæ sibi illatæ gratia,

cia,

tia, mouere? An non idem Rex benedi-
ctus post mortem, quam per illam pro-
meritus erat, imprecatus suis est pacem:
Pax vobis; dicens, nolite timere:

IOAN. 20.

Benedictus igitur Rex noster veni-
ens, qui non vi nec armis Regna occu-
pat, cum *in propria venit, à suis rese-*
ptus non est. Stabuli foetorem, angu-
stias præsepj, miseras vitæ non hor-
ruit Rex Regum & Dominus Dominan-
tium; sed hæc scribens, scio Iudæis
quidem scandalum, Gentibus stulti-
tiam, Principibus risum fore, dico ta-
men, quia bene de Christo canit Eccle-
sia:

Et 21.

IOAN. 1.

Hostis Herodes impie, Christum veni-
re quid times?

Non eripit mortalia, qui Regna dat
coelestia.

Benedictus est, dico & repeto, quia
Principatus eius super humerum eius. *Isai. 9.*
Contentus dura Cruce: Non dilatans
simbrias suas, sed nec habens vbi caput *Matt. 23.*
reclinat. *Luc. 9.*

Concludo, si bella velint Principes,
bella quærant vnde benedicantur, nec
se inuicem lacerent Christiani, nun-

K. 5:

quid!

l.22. Ciu. quid infideles habent hostes? Augusti-
c.6. nus me docet, quod doceo: Nullum
 bellum (dicens) suscipiendum, nisi aut
 pro fide, aut pro salute. Sapientissimus
 ac doctissimus noster Guarra sic habet:
 Si fungerentur suo Principes munere,
 & credere in hac parte mihi vellent,
 nullam ob rem momentaneam permit-
 tere deberent sanguinem effundi huma-
 num, nisi pro eo tantum, qui suum pro
 nobis sanguinem in Cruce offerre vo-
 luit; veri enim Christiani ad deploran-
 da peccata sua astringuntur, hostilem
 verò sanguinem effundendi licentiam
 non habent. In summa, Principes &
 Monarchas vniuersos rogo, hortor &
 obtestor, vt propter eum qui Princeps
 est pacis, pacem ament, pacem procu-
 rent, pacem conseruent, in pace viuant;
 in pace enim & ipsi opulenti, &
 subditi foelices erunt.

Hec ille.

DIS.